



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola VII. Gregorii Papae I. Ad Pavlvm Episcopvm Neapolitanvm. De
officio sacerdotali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

tefecit. Quem quoniam ita estis in paucis diebus experi-
ti, vt eum cardinalē habere desideretis episcopum, gra-
tulamur. Sed quia summis in rebus citum non oportet
esse consilium, & nos quid fiendum sit, matura subin-
de Christo adiuuante deliberatione disponimus, & vo-
bis melius tractu temporis quamē se exhibeat, innote-
scet. Ideoque, filii dilectissimi, prædicto viro, si eum ve-
re diligitis, obedite, deuotisque ad eum mentibus occur-
sione pacifica conuenite, quatenus ita vos ad alterutrum
dilectio mutua caritatis astringat, vt inimicus sauiendo
circumuolans in nullo viam nanciscatur ad vestram dis-
sociandam vnanimitatem, qua subrepatur. Præfatum quo-
que episcopum dum fructum animarum, quem deside-
ramus Deo nostro, ipso quoque suffragante facere sen-
serimus, quidquid post hæc de eius persona vestroque
desiderio cordi nostro inspiratio diuina ministrauerit, fa-
ciemus.

EPISTOLA VII.

GREGORII PAPÆ I.

AD PAVLVM EPISCOPVM NEAPOLITANVM
De officio sacerdotali.

Gregorius Paulo episcopo Neapolitano.

Si sacerdotale quod suscepimus secure ministramus of-
ficiū, & diuinum adiutorium, & dilectio nobis spiri-
tualium aderit sine dubio filiorum. Propterea ita se frater-
nitas tua in cunctis studeat exhibere, quatenus testimo-
nium quod de ea Neapolitanæ ciuitatis clerus, nobilitas
simul habet & populus, bonitatis tuae roboretur augmen-
to. Sic ergo te in præfati populi adhortatione assidua debes
occupatione constringere, vt verbi tui fructum, quem ex
eis fueris operatus, in suis horreis diuinus condat agricola.
Quousque vero de iis quæ a nobis prædicti filii nostri fiendae
depositulant, reuelante Domino, deliberare possimus,
clericos ex laicis ordinari, nec non & manumissiones apud
te in eadem ecclesia solenniter celebrari concedimus.
Confuetudines autem cleri suprascriptæ ecclesiæ & pre-
sbyterorum te volumus sine cunctatione persoluere. In
cuius etiam instructione ita diligenter inuigila, quatenus

ab incongruis vel illicitis omnibus abstinentes, in Deinostri seruitium digno obsecundationis ministerio te quoque hortante consistant.

Mense Ianuario, indictione decima.

EPISTOLA VIII.

GREGORII PAPÆ I.
AD NEPESINOS.

De Leontio illuc transmisso, vt ei obedient.

Gregorius clero, ordini, & plebi consipienti Nepæ.

LEONTIO viro clarissimo præsentium portitori curam solicitudinemque ciuitatis iniunximus, vt in cunctis inuigilans quæ ad vtilitatem vestram, vel reipublicæ pertinere dignosceret, ipse disponat. Ideoque dilectionem vestram scriptis præsentibus admonemus, quatenus ei exhibere obedientiam in omnibus debeatis, nec quisquam vestrum eum pro vestra vtilitate tractantem existimet contemnendum: quia quisquis congrua ordinationi eius restiterit, nostræ resultare dispositioni cognoscetur. Quicumque vero eum in iis quæ supra retulimus audierit, nos audiet. Si quis autem, quod non credimus, eum post hanc admonitionem nostram contemnendum putauerit, ad suum procul dubio sciat pertinere periculum.

EPISTOLA IX.

GREGORII PAPÆ I.

AD CASTORIVM EPISCOPVM ARIMINENSEM.

De oratorio sanctæ Crucis consecrando.

Gregorius Castorio episcopo de Arimino.

TIMO THEA illustris femina petitoria nobis insinuatione suggestit, quod habetur in subditis, intra ciuitatem Ariminensem in loco iuris sui oratorium se pro sua deuotione fundasse, quod in honorem sanctæ Crucis desiderat consecrari. Et ideo, frater carissime, si in tuæ ciuitatis iure memorata constructio consistit, & nullum corpus ibidem constat humatum esse, percepta primitus donatione legitima, id est, totius facultatis eius excepta fami-

Hh iij